

Auctoritas vero, cujus tertio loco mentionem feci, Maestlini est. Is enim monuit in quadam disputatione de multiplici varietate motuum coelestium, praeter triangulum, quadrangulum, sexangulum, alias insuper esse regulares et pulchras figuras, formandis aspectibus idoneas, eodem cum ceteris jure, ut quinquangulum, octangulum, decangulum, stellam octangularem, quinquangularem, decangularem, quarum figurarum aspectibus nomina facit quintilem 72° , semiquadratum 45° , semiquintilem 36° , sesquiquadratum 135° , biquintilem 144° , sesquiquintilem 108° , et allegat meas observationes astrologicas super tribus. Ex eo igitur tempore sunt, qui non tantum semiquadros, sed etiam semiquintiles et sesquiquintiles prognosticis suis inserant. Haec de initis hujus considerationis, sequitur de progressu.

Potuit sane Maestlini docta et perspicax admonitio viam praeire ad inveniendas veriores aspectuum causas et numerum. At ego partim mea principia supra explicata ruminando, partim diligenter observando tempestates, vidi tandem, deserendam esse musicam, ut quae septenarii sui principia nonnulla ex ipsa rectitudine chordae trahit, cum circulus, in quo notamus aspectus, in se ipsum redeat, nec possit, ut ex chordae, sic etiam ex zodiaci residuo fieri circulus alius. Itaque in libro de Stella Nova inque reliquis supra nominatis fideliter monui, de sesquadro illo, utcumque is a musica commendetur, nihil certi testari experientiam tempestatum, de semisexto vero, quamvis illi nulla respondeat divisio monochordi harmonica, offerre se crebras et clarissimas attestaciones ultro, non quaesitas, quippe inopinatas, ultra metas harmonices, ignoratis initio causis.

Ut igitur et speculationem praemissam emendem et rationes instituti mei reddam, cur praeter quintilem, biquintilem et semisextum nullos alios novos aspectus inducam, hoc insuper adjiciendum est hactenus dictis: magnam quidem esse cognationem harmoniis cum aspectibus, eandem utrique generi originem ex figuris nobilibus circulo inscriptilibus, aliis tamen legibus formari septenarium numerum divisionum monochordi harmonicarum, aliis itidem numerum aspectuum. Nam in aspectuum constitutione valent causae diversae earumque concursus, quo fit, ut semisextus quaedam jura, cum quadrato communia, juribus quibusdam communibus cum sextili jungat eaque copia potentior evadat ipso sextili. Sic trinus, quadratus, quintilis et biquintilis in prima et validissima causa sunt aequales, cui trinus et quadratus secundam non multo leviolem conjungunt, quadratus etiam tertiam, quare omnium potentissimus est.

Rursum habet sextilis aliquam nobilitatem communem cum opposito, habet et aliam communem cum trino et quadrato, cujus particula solum aliqua obvenit semisexto, quintili et biquintili; et in hac jam particula conveniunt etiam plures alii partim a Maestlino dicti: in primo gradu semisextus et octilis; in secundo decilis, tridecilis; in tertio quincunx, qui habet 150° , et sesquadrus; in quarto vigintilis 18° , quindecilis 24° ; in quinto qui ex horum stellis sunt, ut 54° , 126° , 162° , item 48° , 96° , 168° . Hic finis est aspectuum secundum vera et genuina principia.

Patet itaque, quo jure quis uti velit sesquadro, eodem jure esse etiam quincunxem et multo potiori octilem, ut vere quidem (hujus solius causae respectu) supra collegit astrologus; potiori etiam decilem et tridecilem, et si usque ad sesquadri imbecillitatem descendamus, causam nullam esse, quin etiam duos penultimi et sex ultimi gradus adjiciamus. Sin autem natura delectum habet eorum, qui pluribus sunt instructi praerogativis, et si prognosta debet naturam sequi, denique si, quod est in proverbio, *ὄνκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*, utique praetermittens decilem et tridecilem, unica gaudentes praerogativa, sed ea mirabili et ipsorum geometrarum voce divina, omittet etiam semiquadrum et sesquadrum, non attento hujus jure in musica divisione monochordi, quod ibi habet ob chordae rectitudinem, quippe cum rectitudinis inter aspectus ratio habeatur nulla; denique omnibus omissis, qui una sola praerogativa sunt instructi, numerum aspectuum mecum concludet eundem quidem, quem in musica, divisionum harmonicarum, non tamen omnes illos respondententes suis in harmonica divisionibus, quippe inter aspectus deerit sesquadrus, respondens harmonicae sectioni chordae 8 in segmenta 3, 5, quae gignit sextam mollem; inter sectiones vero harmo-